



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 94. Et appropinquabat Iesv, vt osculetur eum. v. 47.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

sumpserat aduersus passionis procellam, vt nullum vel pauoris, vel tædij signum amplius ostenderet. Contra, discipuli quoniam non orauerant, nec consolatione erant recreati, videmus eos factos animo imbecilles, & vnicunque eos stimulauerit Dominus secum obuiam ire, factis declarate, mortis horrorem in ipsis creuisse.

O Miseri mortales, qui orationem a deo commendatam Deo, & laudatam negligitis, in quanta pericula, vos conijcitis? videte hos discipulos. Videte contra, Christum Dominum, in oratione prolixum, agilem, & confortatum.

§. 93. *Vnus de duodecim antecedebat eos. v. 47.*

Inter turbas Christi Domini hostes; imo ante eas, antesignanum. Euangelista nominat Iudam, addendo. *Vnum ex discipulis*, ad terrorem nostrum, qui etiam panceum imitari possumus. Venit miser ille cum turba infidelium non tantum corpore, sed etiam voluntate capiendi Dominum & Magistrum suum. Nam solo corpore inter istas turbas fuisse non obfuisset, vt patet de Lot & Daniele &c. bonis inter malos.

Avertat Deus hanc à nobis excecationem: quanquam eam ipsam non minorem etiam nunc videamus pro dolor in quibusdam malucolis & desperatis peccatoribus, qui quo fuerunt in Ecclesiastico statu vel ordine aliquo, altius prouecti, per gratiam, tanto peiores facti sunt duces populorum ad peccatum, vt videmus in Luthero, Monacho, & Caluino Canonico, & pluribus, hodieque Apostatis qui imitantur eum, qui antecedebat turbas euntes ad malum.

§. 94. *Et appropinquabat IESV, vt osculetur eum. n. 47.*

Non pedetentim accedebat, sed accurrebat, ne præda visa elaberetur è manibus, & quasi salutando more Iudæorum amicabiliter, osculatus est Dominum, quo dato symbolo agnosceretur à turba sequente: sed o Iuda, quid agis? amoris signo vulnus infigis? mellis oblatione venenum propinas? charitatis officio sanguinem fundis? instrumento pacis mortem irrogas? Iuda, quid agis? quo decidisti, de Apostolatu ad Apostasiam, de consortio Angelorum ad contubernium dæmonum, de primis amicorum ad primos hostium; de sublimi gratiæ folio ad profundam abyssum damnationis: de participatione augustissimi corporis ad venditionem eius diuinissimi Sanguinis? Ah! quantum sæpe nequitix sub fronte blanda, quantum mali, sub larua boni tegitur. Vere iste Iudas est Princeps
larua

laueratorum omnium, Et id facis tu quoque, ô peccatrix anima; dum aliquem blanditijs ad peccandum allicis, dum tuis fraudibus decipis: dum per causam pietatis impietatem velas, dum sacram mensam sacrilegè accedis, non diiudicans corpus Domini.

Exeste proditores, procul à me exeste: moueat vos diuinæ dulcedo charitatis & viscera misericordiæ Christi, qui pro malevolentia, fauorem, pro odio amorem, pro morte vitam; pro osculo, præbet amplexum. Ego hunc amplexum enixissimè desidero, & peto maximè in hora mortis meæ, Mi JESU: Et detektor omnem Iudaicum huc Iscarioticum amplexum.

95. Iesus autem dixit illi Iuda osculo filium hominis tradidit. v. 48.

O incomprehensibilis mansuetudo! ô admiranda benignitas! ô humilitas ineffabilis! ô immensa bonitas Magistri in degenerè seruum & discipulum suum plane præstitit, hominem illum proditorem natum non fuisse. Ita tamen, dulcis Iesu, constans fuit bonitas tua; ut quidquid poteras boni illi præstiteres; quo emolliiri potuisset saxeum pectus illius. Post venditionem adhuc tolerasti eum in societate Apostolorum, imo in sacerdotem consecrasti, beneficentia & amore fouisti in mensa, amanter alloquens pedes lauans, cum humilitate & lacrymis; Voluisti eum per pudorem vincere, & reducere coram discipulis, rei ostendens indignationem, dicens: *Qui intrinjet mecum manum in paropside, hic me tradet.* Idem conatus es facere, per minas & metum pœnarum & æterni. *Va homini illi, per quem filius hominis tradetur comminationem, dicendo melius foret illi, si natus non fuisset homo ille.* Sed & verbis eum amabilibus nunc aggressus es dicens: *Iuda osculo filium hominis tradidit? ac si diceret: Itane de te meritus sum Iuda? Num peccaui in te lauans pedes tuos, curuans tibi genua mea? respiciens te corpore & sanguine meo? Iuda; ad quid venisti!*

Obflecto, attendamus; ne nos simus de illis, qui osculo filium hominis tradunt. Tales autem sunt non solum falsi fratres, qui pacem loquuntur cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum: qualium magnus est, pro dolor, numerus; sed etiam tales sunt, qui indignè ad Sacramentum Communionis accedunt, non præmissâ debita scelerum agnitione, dolore, ac confessione. Hi enim quasi osculum præbent filio Dei, & eum peccatis suis crucifigendum tradunt. O quam multi de hoc numero! forte etiam sacerdotes, O quam multi fideles qui magna parte vitæ vix semel dignè accedunt eandem, quam Iudas iniuriâ renouantes, O quoties Domine ad
mille